

captivitate solutos intelligi debere confirmet. Liceat do-  
cissimi viri adscribere verba, quæ sic habent: *Quod Esaias  
de Christi regno & beneficiis concionetur, istæ rationes assigna-  
ri possunt: Initio quod Propheta hoc carmen cum Superiore  
capite conjungere videtur. Illud autem omnino de beneficiis  
Domini & Servatoris nostri JESU Christi intelligendum est.  
Quis ergo negaverit, ista, quæ in hoc vaticinio continentur,  
eiusdem esse argumenti? Deinde, qui hic canunt, nituntur  
munitione urbis suæ, quæ si externa esset, non posset excusari  
formula illa Iudacionis. Nam prohibemur carnem facere  
brachium nostrum, nec spem collocare in illis praesidiis, quæ in  
hominum viribus & munitionibus posita sunt. Laudatur (3.)  
innocentia civium in hac republicâ: cum autem constet, Jude-  
os, qui ex servitute Babylonica in patriam redierunt, avari-  
tia & connubiis mulierularum alienigenarum se polluisse, ut  
scriptum est Nhem. c. V. & Esdræ c. IX. imò segnes quoq; fuisse  
in adificando templo & promovendo DEI cultu, quod testatur  
Haggaus C. I, nemo ista de Hebreis dicta existimet, sed de Christi  
beneficiis & Ecclesiâ. Cæterum quando Christus h. l. popu-  
lum vocat suum, attenditur maximè beneficium redēctionis,  
quod præstiterat erat pro omnibus 1. Tim. II, 6. factus iha-  
tauòs, pro peccatis mundi 1. Joh. II, 2. Suscepis iniquitatibus  
omnium nostrum. Esa. LIII, 6. factus pro nobis natuæg. Gal. III,  
13. & semet ipsum tradens pro Ecclesia, ut eam sanctificaret,  
Eph. V, 25. Imò ille idem est, à quo Ecclesia moriendi feli-  
citatem expedit, unde dicimur, in Domino, cùm morimur,  
beati. Apoc. XIV, 13.*

§. 5. (2.) Adjunctum sive Objectum percipiendum  
est ipsa quies beata, seu beatus in morte status, suo modo  
corpori animaque communis, descriptus tamen per for-  
mulas corpori maximè competentes. ( Huic enim compe-  
tit (1.) transitus in cubicula per honestam sepulturam:

Nem-